

De nystagmo : dissertatio inauguralis medico-chirurgica ... / auctor Carolus Benjamin Lorenz.

Contributors

Lorenz, Karl Benjamin.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Th. Brüschcke, 1820.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/btessagg>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
N Y S T A G M O.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIII. M. MAII. A. MDCCCXX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS BENJAMIN LORENZ

MIRSCHBERGA - SILESIUS

OPPONENTIBUS

HOEFFT ET TEMML

MEDICINAE DOCTORIBUS.

BEROLINI TYPIS TH. BRÜSCHKE,

О МОДА ТЕХИ

оитатяяга

желания озима засыпки

манды

войско статиотса яз конека
анисло молодости

желания жажды статиотса ил
дома то

желания молодости да засыпки и

Praestat, propria mente errare quam sine mente
oracula loqui!

СИЯЮЩИЙ ЖИВУЩИЙ СИЯЮЩИЙ

СИЯЮЩИЙ ЖИВУЩИЙ

СИЯЮЩИЙ ЖИВУЩИЙ

СИЯЮЩИЙ ЖИВУЩИЙ

СИЯЮЩИЙ ЖИВУЩИЙ

БЕЛОСНЕЖКА ИЗ БЕЛЫХ СНЕГОВИКИ

P r a e f a m e n.

„En turbam medicorum! Proh dissertationum caturam! — „Quae quidem voces, quantumlibet saepius in ore et Patriciorum et Plebejorum sonent ac resonent: haud tamen fecerunt, ut meri putique medici officia diligenter reputare ac ejusdem dignitatem studiis, quae quidem exerceri res medica atque chirurgica jubet, operam navando magis magisque investigare unquam ego defessus fuerim. Quo factum est, ut tentamine et examine rigoroso jam ante tredecim menses rite peractis summos honores in utraque medicina capessendos nunc ambiam. Ambire autem non est induere! Antequam vero ejusmodi honoribus exornari possim, maiores jamjam instituere, dissertatiunculam mihi esse scribendam ac rite defendendam.

Quid igitur agendum? — Mos ille priscus subjugum quasi me mittit atque libellum hunc edere me cogit. Cui itaque visum erit, eas literas opprobio mihi facere: is, quaeso, secum reputet, animum quadam necessitate coercitum vincula nunquam deserere, juveni dein nondum inesse praestantiam viri!

Sectio prima.

E x p o s i t o m o r b i .

Priusquam, quod medicis recentioribus nomine nystagmi vocare placet, fusius exponamus: ut de morbi historia nonnulla praemittamus opus videtur.

Hippocrates, Galenus aliique viri pristinae medicorum aetatis, qui de oculi morbis scripsere, nunc τοῦ ἵππου, nunc τῶν ὀφθαλμῶν ἐγκεφαλικῶν, nunc τοῦ νυσταγμοῦ utuntur nomine bulbi spasmos clonicos designaturi.

Itaque quaeritur, num eae voces rem unam eandemve significant an potius harum varietas et rerum ipsis enominatarum secum ferat differentiam?

Hippocrates, cui nystagmus in primis nomine ἵππου venit, id vocabulum trahit ad affectionem insitam et naturalem oculorum, per quam nunquam

ipsi couquiescunt, sed tremuli semper moventur, semper instabiles.

Quam quidem affectionem Galenus comparat cum stridore dentium naturali et congenito, „dentibus enim, inquit, stridere ex natura simile est oculorum affectui quibusdam insito, quem ἵππον appellant, cum nullo tempore firmi ac stabiles manere possint, sed tremuli adsidue jactentur.“

Uterque horum auctorum, qui nystagmum prae-
primis nomine ἵππον seu ὁφθαλμῶν ἐγκινερμένων appella-
nt, eodem nil aliud petit, nisi spasmum cloni-
cum, quo quidem oculus ipse vel potius musculi
oculares, quibus trementibus necesse est oculi tre-
mant, corripiuntur.

Pro ipsorum auctoritate hocce in morbo pars
adfecta neque est iris singularis neque palpebrae, uti
medici censem recentiores, sed bulbus oculi ipse ac
musculi eundem moventes.

Est demum Riolanus pater, qui nomen ἵππον ad
spasmum iridis clonicum adferat dicendo „nonnun-
quam in uvae tremulum eum adfectum se vidisse.“

Quo quidem a tempore auctores recentiores, ad
Mauchartii et Woolhusii instar, voce ἵππον tantum-
modo alternam et continuo repetitam pupillae dilata-
tionem et constrictionem, nomine autem nystagmi
convulsionem seu invitam agitationem bulbi ocularis
intelligi volunt.

Quemadmodum vero totus rerum medicarum
ambitus experientia nititur atque cum ipsa in dies
augetur et immutatur: ita etiam illa de nystagmo
praecepta neutiquam mansere incolumia.

Etenim licet pristini auctores vocem nystagmi ad motus vel solius bulbi vel iridis convulsivos trahi velint, nuperioribus medicis, Sauvagesio praeeunte, et spasio palpebrarum clonico idem nomen haud displicuit indere, quare vocabulum „nystagmus“ morbum oculi complectitur triplicem.

Nunc autem it quaestio, quo jure ac merito notio nystagmi ad hancce triplicitatem evecta sit?

Nυσαζειν, ex quo quidem vocabulo graeco originem trahit nystagmus, est nictare, dormitire et capite nutante dormitare. Qua de causa verba Hippocratis: *τῶν νυσαζόντων ὁφθαλμοὶ πλέοντες*, i. e. oculi natantes velut nictantium, sive: oculi tremuli et adsidue fere se moventes, quales pae somnolentia dormitientium. — De eo autem phaenomeno, quod haud raro hominum magna dormiendi cupiditate pressorum, ob quam stantes etiam connivent et dormant, vel oculus internus varie moveatur vel palpebrae modo hient mode occludantur, nomen affectionis oculorum spasticae, in qua eadem fere occurunt symptomata, deductum ideoque veluti notio triplicem morbum unius ejusdemque organi amplectens haud inepte electum esse mihi videtur. Nam, etiamsi nystagmus pro partibus oculi singulis, quas ipse occupat, et singulos peculiaresque stabiliat morbos: ii tamen una fere eademque natura ac causa proxima gaudent. Quippe quid est nystagmus bulbi? Quid hippus iridis? Quid nictatio palpebrarum? — Quid quidem aliud nisi motus e spasmis clonicis profecti?

Pro meo igitur arbitrio complecitur

n y s t a g m u s,

(s. convulsio, s. epilepsia, s. hysterismus oculi,)

1) spasmum clonicum bulbi

(s. instabilitatem oculi, s. νυσαγμὸν κατ' ἐξοχὴν, s. ὀφθαλμὸνς ἴναπερομένους;)

2) spasmum clonicum iridis (s. hippo);

3) spasmum clonicum palpebrarum (s. blepharospasmum clonicum, s. nictitationem palpebrarum.)

Ex his, quae jam modo de voce nystagmi generatim disserui, elucet, tres hasce enumeratas species nil aliud esse nisi spasmos clonicos, in quibus lex organismi illa, secundum quam motus oculi arbitrio obediunt, laesa appareat atque abolita. Quae tamen pro diversitate partium affectarum eo procedunt discrimine:

I. Nystagmus κατ' ἐξοχὴν, s. ὀφθαλμὸν ἴναπερομένον est spasmus muscularum bulbum moventium clonicus, ita ut ambo eorum antagonistae inter contractionem et expansionem ineant vicissitudinem involuntariam, celerem ac nunc continua nunc intermittentem.

II. Hippo, qua voce nunc temporis medici spasmum iridis significant, est illa hujusce membranae affectio, ob quam pupilla continua constrictione et dilatatione motui tremulento haud absimili vexatur.

Unde autem id nominis? — Licet Plinii aliorumve auctorum adnotationes etymologicae nil lucis vocabulo „hippos“ affundant: me tamen vix pudet censere, nostros maiores, quibus saepius dissimillima conferre placuit, inter effigiem equi currentis ac iridis motae quandam detexisse similitudinem ideoque hoc nomen usurpasse.

Quoniam vero *ἴππος* in ore Hippocratis, Galeni aliorumve antiqui temporis medicorum aequa atque nystagmus spasmus bulbi clonicus dicebatur: factum est, ut utrumque nomen semper concurreret synonymon, eo tamen discrimine, quod vocabulum „*ἴππος*“ ab equi effigie erat deductum. Serioribus autem temporibus, quibus quorumdam ophthalmologorum intererat, pro peculiari morbi phaenomeno et nomen habere peculiare, vocem „*ἴππος*“ soli illi affectui iridis convulsivo tribuebatur, ita ut *ἴππος* in iride eadem iis esset affectio, quae in bulbo nystagmus. Utramque tamen morbi formam maxime sibi esse ad finem ideoque haud immerito iisdem fere nominibus signari posse, ex observatione, qua ambae affectiones una simulque vel vicissim subinde obveniunt, afatim patet.

III. Tertiam denique nystagmi speciem praebet nictatio palpebrarum, quae, quamvis pariter ac nystagmus bulbi et hippos spasmis clonicis nixa, ab iis tamen vel sede vel eo distat, quod motus spasmodici ob peculiarum partis affectae structuram atque connexum non ad omnes partes fiunt ac idcirco rotationes minime ineunt, sed potius palpebras vel

tremulas vel imo nunc confluentes nunc hiantes efficiunt.

Sectio secunda:

Diagnosis.

Vixdum in voce nystagmi definienda potui, quin et plura immiscerem momenta diagnostica, quamobrem, ne quis meam conqueratur loquacitatem, quae-dam tantummodo symptomata nunc additurus sum pathognomonica.

Signum praecipuum, quo quidem omnes tres species nystagmi enumeratae gaudent, motibus constituitur clonicis seu convulsione partium affectarum.

I. Nystagmus s. instabilitas bulbi dignoscitur eo, quod bulbus praeter voluntatem aegroti nunc sursum, nunc deorsum, nunc ab uno ad alterum canthum celeriter agitatur vel denique imo rotatur.

Easdem fere agitationes ac bulbus perpetitur iris

II. in hippo, qui ita ad conspectum pervenit, ut pupilla modo constringatur modo tremula dilatetur.

III. Nictitationem dein palpebrarum adesse liquet ex agitatione musculi levatoris atque orbicularis alterna, secundum quam palpebrae jam hiant jam sibi invicem admoventur, ambitu jam imminuuntur jam inaugentur. Quo tamen in phaenomeno musculus orbicularis levatorem actione superare videtur, —

Nonnunquam etiam contingit, ut fibrae palpebrarum singulares motu convulsivo vexatae hunc prodant spasmus.

Si quidem nystagmus sensu latiori ad summum evectus sit gradum, omnes tres ejusdem species in concentu unaque apparent. In gradu hujusce morbi mitiori nystagmus bulbi et iridis hippos plerumque concurrunt, rarissime tamen a se invicem discreti obveniunt ac soli; nictatio autem palpebrarum jam saepius velut integrum morbi phaenomenon offertur,

Sectio tertio:

Aetiologya.

Ex iis, quae jam supra commemoravimus, liquet, notione nystagmi motus hosce convulsivos, quibus bulbus oculi, iris nec minus palpebrae corripiantur, esse intelligendos. Pro ea autem institutione omnes causae ad nystagnum spectantes vel quoad summam hujusce vocis vel quoad singulas ejusdem species considerari debent.

Potentiae enim, ex quibus nystagmus oriri potest, haud immerito dispescuntur in causam proximam ac causas remotas. Quoniam tamen causa proxima, quatenus de ea disserere licitum est, ex aliis rum demum noxarum compensatione optime redundat: eas organismi rationes, quae ad nystagmum pro-

vocandum nexu pollent laxiori, primum investigare conabor,

A. Causae remotae.

i. Causae praedisponentes.

Hisce enim illas innui volo organismi rationes internas, quae oculum ad affectiones convulsivas faciant proclivem ac pronum. Eae tamen vel in oculo ipso vel in aliis corporis organis obtinent locum.

a. Causae praedisponentes, quae in oculo ipso versantur.

Huc quidem refertur potentia quaelibet peccans, quae oculi sensibilitatem ac eadem nixam fibrarum muscularium actionem nimis augendo motus ciet convulsivos, quales e. g. in oculi inflammatione, amblyopia et amaurosi erethica conspiciuntur.

b. Causae praedisponentes, quae aliis organis adhaerent.

His praecipue accenseri possunt:

α) constitutio corporis laxa, cui haud raro proclivitas ad spasmos inhabitat;

β) morbi, qui vel stimulos corpori servando idoneos detrahendo vel concentum inter systema sensiferum atque motorium abolendo integrum spasmos clonicos valent producere, e. g. sanguinis profluvia, seminis aliisque laticis inquilini nobilioris emissio-

nes, suppressio haemorrhoidum mensiumve, catarrhus, rheumatismus, inflammatio partium cum oculo nexum ineuntium penitorem, nimius sanguinis impetus ad caput, neque minus febres acutissimae;

γ) Cachexiae, e. g. hydropica (in primis hydrocephalica), arthritica, scrofulosa, scorbutica, syphilitica;

δ) Morbi ipsi convulsivi, v. c. epilepsia, chorea St. Viti, morbus hystericus;

ε) Aberrationes mentis, v. c. mania, furor;

ζ) Pathemata animi, praeprimis metus, terror, tristitia.

His enumeratis oriundi nystagmi seminibus exceptis et aliae corporis rationes, quae, quamvis a primario naturae consilio haud distantia, nonnunquam tamen, ad dentitionis difficilis graviditatisque instar, organismum ad spasmos convulsivos disponunt.

2. Causae occasioneles.

Hisce eas noxias significari velim potentias, quae magis extrinsecus ortae organismum vexando tales prolixiunt reactionem, qualem in spasmis clonicis ex alio fonte profectis observamus. Ipsi igitur adnumerari possunt:

a. Repentina saepiusve revocata lucis in oculum irruentis ac denuo ex eodem defugientis vicissitudo.

Qua quidem causa externa potissimum hippos saepius nititur, dum lux clarior in oculum illapsa nervos ciliares nimis stimulando pupillam ad constrictiōnēm movet perspicuam, defugiens autem ac

cessans aliud functionis momentum — expansionem quidem constrictioni praegressae congruentem — in iride prolicit.

Id enim phaenomenon in constrictione et expansione iridis conspicuum, quamlibet ad scopum videndi referat ideoque cum finibus naturae consentiat, nimio tamen exstante ac saepius redeunte incitamento in morbum abire atque faciem spasmi convulsivi ostendere potest.

b. Potentiae modo magis mechanico oculum vexantes, e. g. arenula, lacrymae justo acriores, serum ac mucus irritans, neque minus sordes primarum viarnm et vermes.

Hae tamen causae occasionales potissimum in nystagmo bulbi ac iridis, minus jamjam necesse est accusentur in blepharospasmo clonico, qui quidem multo facilis vulneribus, ulcusculis aliisque vitiis palpebrarum organicis conficitur.

c. Metus, cui a manu chirurgica oculo adhibenba datur occasio, e. g. in cataracta instrumenti ope chirurgici dimovenda,

Id quippe momentum, cuius enumerandis in causis nystagmi praedisponentibus mentionem jam feci, tantummodo, quoniam a re extranea cietur, quendam hic obtinet locum.

d. Consuetudo oculum perinde fere, ac si idem spasmis vexetur clonicis, movendi ex impedimentis oculi interni organicis orta.

Haud raro fit, ut homines, qui cataractam partialem, humores oculi obfuscatos, retinam singulis in locis resolutam vel etiam oculi vitia organica ma-

gis minusve superficiaria, ad corneae indurationum et excrescentiarum instar, conqueruntur, quam frequenter per varios motus arbitrarios variis illis visus integri obstaculis studeant devincendis. Allatis hisce in casibus oculi anxie jactantur ac quasi spasmis clonicis correpti moventur, — quod quippe phaenomenon, etiamsi ab initio secundum aegroti arbitrium studiumve contingat, serius tamen praeter voluntatem obvenire et in nystagmum verum abire potest.

Quae de re etiam diplopia a natura per strabismum tollenda, antequam haec sanatio ad finem pervenit, nobis ob oculos dicit statum, ubi motus bulbi, iridis vel etiam palpebrarum convulsivi sunt. Idem et saepius in pupilla arte facta, priusquam ipsa ad functionem pupillae consiliis naturae convenientis evecta fuerit, licet conspiciamus.

B. Causa proxima.

Quum quidem nystagmus ad spasmos pertineat clonicos, nobis nunc erit facile intellectu, utrumque morbum una eademque natura nisi interna.

Reputanti enim, praesentiam spasmorum motibus arbitrariis a naturae consiliis aberrantibus agnoscii, ipsos vero motus sive contractione sive expansione conspicuos systemati muscularum adhaerere, mihi necessarium fere videtur existimem, proximum omnium spasmorum fontem in concentu fibrarum

muscularium et nervorum iisdem imperantium laeso
ac perturbato verti.

Spasmus est igitur morbus et nervorum et muscularum systema una simulque corripiens, ea tamen singularitate, quod sensibilitas velut momentum legislativum, irritabilitas vero velut potentia leges exsequens affecta apparet.

Sin autem in spasmis sensibilitas prius quam muscularum efficacia laesa esse debeat: potestne ipsorum fons proximus in illa ponи?

Quamvis refutari nequeat, functiones muscularum efficacia nervorum in ipsos agentium niti, hanc itaque prius existantem cogitari posse, quam illas: habemus tamen, quod reputemus, systemati etiam muscularum propriam inesse efficientiam, cuius auxilio vis nervorum immutetur et ad scopum irritabilitatis regatur.

Quando verum in motibus integris irritabilitas ac sensibilitas intimo tenentur connubio, et eorum alienatio ad utriusque momenti deflexum referri debet.

Itaque spasmos, quod ad causam spectat proximam, quia in iis contractio fibrarum muscularium magis minusque praevalet, morbis irritabilitatis ad numerari oportet. Ubi enim haec contractio ut plurimum pollet, ibi spasmus tonicus; ubi autem contractio alterum irritabilitatis momentum penitus nondum superavit, ita ut juxta ipsam etiam expansio vigeat, ibi spasmus versatur clonicus.

Ex his autem, quae jam modo de spasmis in universum edixi, ad causam proximam nystagmi

colligi potest, ipsum simul cum spasmis clonicis una eademque natura gaudere interna nec igitur ex alio fonte oriri nisi ex concentu fibrarum muscularium et nervorum in ipsas agentium laeso ac perturbato, qui quidem motibus oculi convulsivis manifestatur.

Nunc autem urgeamus opus erit quaestionem, „quo quidem nexu causae nystagmi remotae ad causam ipsius proximam teneantur? — Quomodo, „quaeritur, fiat ut omnes supra enumeratae potentiae, et praedisponentes et occasioales, motus oculi „clonicos progignere valeant?“

Si quidem a justo tramite haud aberraverim dicendo, in quolibet spasio affectam sensibilitatem pro primario quasi momento causaliter esse habendam: tum vel magnum ob connexum oculi nervorum inter se invicem vel ob ipsum cum sensorio communis concentum non solum alia oculi parte spasmis correpta aliam affici, sed etiam cerebro certa quadam ratione vexato et oculum simili modo laborare vix ac ne vix quidem videbitur mirum.

Quippe qui oculi situm atque structuram neque minus ejusdem functiones hoc utroque momento nimis rite computaverit: is, quominus oculus organorum nobilium nobilissimum satis ac satis aequet, minime dubitabit. Cerebro enim est oculus non tantum adeo vicinus, ut ipsi haud immerito poeticum nomen floris cerebri inditum sit, sed etiam dignitate structurae et actionum illi simillimus.

Quodsi vero organon visus cum instrumentis sensorii communis quam arctissime cohaeret atque conspirat: quid mirum, quod omnes fere potentiae

cerebrum magnopere corripientes et oculum subigant morbo?

Quae autem cum ita sint, valet nunc disquisitio,
„qua ratione morbi spastici, in primis motus convul-
„sivi, sensorium attingant?“

Plerique morbi speciem spasmorum praese ferentes musculos lacesunt voluntatis imperio obedientes; id imperium concinit cum sensorio; sensorium in cerebro obtinet locum; cerebrum autem pro fonte omnium nervorum partibus movendis praedicatorum quodammodo censemur: quid aliud inde colligi potest nisi existimatio, omnibus in motibus convulsivis praeter voluntatem occurribus cerebri efficaciam magis minusve perturbatam esse ac imminutam?

Nystagmus igitur symptomaticus, quippe qui ex aliis nervorum sistema vexantibus morbis pro sede ab ipso distantibus cogitatur profectus, illam maximi momenti legem sensorio constitutam, pro qua inter latus organismi humani animale ac mere vegetativum existit discrimen, valdopere indicat laesam atque abolitam.

Sensorium itaque motibus animalibus leges olim praescribens nunc, ubi nystagmus morborum symptoma obvenit aliorum, suum imperium deperdidisse ac idem cum in partes motu animali, tum in partes motu gaudentes vegetativo transtulisse videtur.

Aliter autem se habet nystagmus idiopathicus. — Quippe qui, quamquam eandem nystagmi symptomatici causam confitens proximam, originem tamen multo simpliciorem dicit. Hujus enim sedes primaria est oculus et ad ipsum provocandum

nullis aliis in reliquo corpore dispersis eget semini-
bus. Idcirco fit, ut in hocce spasmo conficiendo
haud omnium nervorum adesse debeat affectio, sed
potius oculi sensibilitatis cum idonea irritabilitate ad
unam eandemve efficaciam conjunctae alienatio jam-
jam sufficiat. Sensorium quidem haud omnino invi-
olatum consistere, quilibet, qui ejusdem rationem ad
spasmos clonicos rite consideraverit, sine longa ani-
mi haesitatione fatebitur. Idem tamen immutationem
hic patitur longe aliam ac in nystagmo symptomati-
co. Etenim in illo sensorium, de cuius imperio mo-
tus omnium organorum voluntarii dependent, peni-
tus fere imminutum atque abolitum: in hoc autem
idem affectum quidem appareat, efficacia tamen legis-
latoria ad alia organa arbitrio inservientia sese ma-
nifestante viget ac valet. In illo sensorium impe-
rium suum quodammodo omnino deperdidit ac, ut e
magnetismo petam imaginem, conductorem virium
immutatarum ex alio ad aliud organon transeuntium
magis minusve aequat; in hoc contra ejusdem effici-
entia, dum ipsa in oculum agit, vincita quasi quies-
cit. — In nystagmo symptomatico oculus organi si-
bimet ipsi curantis imperantisque; in hoc autem or-
gani ab aliis corporis partibus dependentis ac jussi
prae se fert speciem.

Sectio quart a:

Divisione morbi.

Priusquam ad nystagnum ut mihi videtur distribuendum ingrediar, rationem ipsius dividendi, qua praeente Plenio plerique auctores ophthalmologici usi sunt, paucis enucleabo.

Pro eorum quidem auctoritate hae distinguantur necesse est species nystagmi:

1. Nystagmus a timore, cui manu chirurgica oculo adhibenda datur occasio;

2. Nystagmus ab arenula aliisque corpusculis in oculum illapsis profectus;

3. Nystagmus catarrhosus;

4. Nystagmus a saburra primarum viarum, ut in infantibus verminosis observatur et ex signis saburrae cognoscitur.

5. Nystagmus symptomaticus, qui in morbis convulsivis, hysterics, epilepticis et in gravidis quandoque observatur.

Etiamsi confiteor, has enumeratas nystagmi species experientia praeberi singulas: vix tamen refutari potest, easdem nulla ratione mere logica niti, quoniam ipsis cum contra oppositionem tum contra leges coordinationis et subordinationis maximopere peccatum est.

Quid quidem aliud nystagmo symptomatico s. deuteropathico opponendum cogitari potest nisi nys-

tagmus idiopathicus s. protopathicus? Quae autem cum ita sint, ei, qui rite dispensare consuevit, species 1mo, 2do, 3io, 4to loco enominatas notione nys- tagmi idiopathicici animo complectatur easque nystagmo symptomatico 5to loco commemorato rite opponat necesse videbitur.

Quodsi vero hac ratione oppositio constituitur logica: nonne altero latere peccatur eo, quod notio nystagmi prothopathicci hoc modo conformata vel justo angustior appareat vel latior? Angustior enim, quia ipsa, ut ex causarum remotarum expositione elucet, res multas commemoratione satis dignas excludit: amplior contra, quoniam, saburrarum exemplo, potentias noxias magis nystagmum symptomatum s. deuteropathicum javantes continet.

Quam ob rem hancce nystagmi distribuendi rationem esse rejiciendam puto ac mihi persuasum habeo.

Num ego autem aliam edendo institutionem meliorem me nunc praebebo Apollinem?

Nystagmus, me quidem existumante, pro duobus tantummodo momentis rite distribui potest, cum pro causis tum pro sede.

Debet distingui,

I. Qnod ad causas attinet,

a Nystagmus congenitus et acquisitus.

Congenitus ille nominatur nystagmus, qui causis sine perspicuis jam inde a primo natali die existit: acquisitus autem, qui e potentiis inimice in organismum agentibus originem duxit.

Ille, quem quidem Hippocrates potissimum urget, rarissime: hic saepius obvenit. — Fons nystagmi congeniti remotior nos adhuc latet, ejusdem autem natura interna cum vera reliquarum specierum indole conspirare videtur.

Nystagmi acquisiti causae remotae sunt omnes ii morbi ex vita irregulari (vel etiam casu ac fortuito) exorti, qui in oculo, sensibilitatem ipsius perturban- do, irritabilitatem excessivam motibus convulsivis per- spicuam prolicere valent. Huc itaque pertinent con- gestiones caput versus et oculos sive haemorrhoida- lis sive alias indolis; affectio catarrhalis, rheumatica, scrofulosa; omnes morbi spasmorum clonicorum spe- ciem prae se ferentes, e. g. morbus hystericus, epi- lepsia, chorea St. Viti etc. etc. neque minus poten- tiae, quas quidem nomine causarum occasionalium jam supra exposui.

b. Nystagmus idiopathicus s. protopathicus atque nystagmus symptomaticus s. deuteropathicus.

Ille oculum primario; hic autem secundario sive a causa aliorum morborum refert correptum. Ille et congenitus et acquisitus; hic tantummodo magis mi- nusve acquisitus cogitari potest. Ille saepenumero continuus; hic semper periodicus s. intermittens oc- currit. Nystagmus idiopathicus vel iis nititur causis, quas potentibus praedisponentibus in oculo ipso ver- santibus attribui, vel ex causis supra enominatis occasionalibus proficiscitur.

Nystagmus symptomaticus s. deuteropathicus omnia ea momenta incusat causalia, quae enumeran- dis in causis praedisponentibus jam supra nuncupavi.

At haud solum pro causis dividatur necesse est nystagmus, sed etiam

II. pro sede

- a) in nystagmum bulbi s. nystagmum $\kappa\alpha\tau'\iota\xi\circ\chi\eta\nu$,
- b) in nystagmum iridis s. hippo; ac denique
- c) in nystagmum palpebrarum s. blepharospasmum clonicum.

Haec enim distributio, de qua in voce nystagmi instituenda jam uberius disserui, quia nystagmus pro loco singulari affecto semper certam quandamve praebet peculiaritatem, neutiquam videtur superflua. Nam nystagmus stricte sic dictus atque hippus momenti censeantur opus est multo majoris quam blepharospasmus clonicus. Uterque illorum, et symptomaticus et idiopathicus, vel universi corporis vel in primis oculi labem ac correptionem portendit maiorem quam blepharospasmus clonicus, sive idem sit symptomaticus sive idiopathicus. Nystagmus $\kappa\alpha\tau'\iota\xi\circ\chi\eta\nu$ atque hippus plerumque una et simul: rarius autem alternis occurrit vicibus.

Nystagmus palpebrarum illis accedens gradum labis indicat summum; ab illis autem secretus et quasi integer extans magis casu et fortuito videtur exortus ac ne flocci quidem censendus.

Quod ceteroquin ad causas harum specierum attinet; ipsae eaedem ad illas, quibus nystagmus idiopathicus ac symptomaticus nititur, referri possunt, quo quidem fit, ut haecce nystagmi distributio pro sede facta, ratione causarum habita, jamjam in priore quodammodo observetur contenta.

Sectio quinta:

Prognosis.

Si quidem physiognomi ac medici aevorum omnium affirmant, indolem vultus frequentissime veram putamve non solum animi mentisque sed etiam corporis naturam significare: quid mirum, quod oculi, partis faciei nobilissimae, alieni affectus statum bonaे valetudinis valdopere immutatum saepenumero portendant? Nam tali consensu cum reliquis organis ac eo nervorum numero, quo quidem ille connexus nititur, nulla ceterarum corporis partium gaudet, quam oculus!

Partes ipsius externae numerum suorum nervorum majorem a ramo primo ac secundo nervi trigemini, minorem autem a nervo faciali petunt; oculo ipsi inserviunt nervus opticus, oculomotorius, trochlearis atque nervus patheticus, quippe qui cum ramo nervi trigemini secundo radicem nervi intercostalis s. nervi sympathici ~~u~~ axiali constituit.

Qui autem hancce oculi structuram accuratius computaverit, is minime ibit infitias, id organon tam multis nervis exornatum ac eorum auxilio tam late longeque in organismum agens, systemate reliqui corporis nervoso immutato, mutari.

Inde itaque fit, ut nystagmus, quoad aliorum morborum symptoma, universum corporis sistema nervosum portendat immutatum, ejusdem autem gra-

vitas pro indole uniuscujuslibet morbi, quocum cohaeret, sit dijudicanda.

I. Praesagia quaedam nystagmi symptomatici.

Prognosis nystagmi symptomatici non solum pro natura morbi, quocum conspirat, sed etiam pro tempore, quo idem procedit, censeatur oportet.

Nystagmus quidem symptomaticus, qui in morbis obvenit diuturnis, minoris est momenti, quam nystagmus ejusdem speciei acutis in morbis conspicuus. Nam idem, si mali hysterici, epileptici, maniaci, choreae St. Viti, doloris faciei Fothergilli aliorumve morborum convulsivorum prosequitur impetus vel eas antecedit, saepius nil aliud nisi gradum horum morborum paulo auctum indicat, saepius autem ulla fere sine significatione incedit. Quodsi vero nystagmus in morbis acutis, e. g. febris inflammatoriis, in hydrope cerebri inflammatorio, in dentitione difficiili aliisque morbis nervorum systema magnopere corripientibus appareat: idem semper tam gravem cerebri affectionem portendit, ut inde haud raro phrenesia vehementissima, mania furibunda aliaque phaenomena mortem instantem significantia colligi possint.

Praesagia ceteroquin nystagmi symptomatici, quoad singulas ejusdem species, vix ac ne vix quidem differentiam praebent, quam ob rem de rationibus uniuscujuslibet speciei prognosticis disserere non est necessarium.

2. Prognostica quaedam nystagmi idiopathici.

Nystagmi idiopathici, cuius semina in oculo ipso neque in aliis organis jacent dispersa, prognosis magis ad hoc singulare organon, quam ad alias corporis partes refert, qua quidem ratione idem minoris momenti quam nystagmus symptomaticus totius corporis affectionem portendens censeri potest. Attamen exstant exempla, quibus nystagmus idiopathicus, siquidem labem oculi innuat magnam, nystagnum symptomaticum, qui haud raro generalium systematis nervosi adfectuum vitae haud proprie minantium edit symptoma, gravitate magnopere superat.

Ad nystagmi vero idiopathici auctoritatem prognosticam rite dijudicandam singulas ejusdem species neque minus causas, quibus singulae nituntur, reputemus opus fere videtur.

- a. Nystagmus idiopathicus palpebrarum,
s. bepharospasmus clonicus idiopathicus.

Hic crebro ipsis in hominibus valetudinis optimae occurrens nonnisi sensilitatem palpebrarum ac muscularum easdem moventium praesagit inauctam.

At jam in pejus est ille vertendus, sin a vulneribus aliisque externis potentissimam integritatem oculi valdopere vexantibus profectus fuerit, neque minus, si cum nystagmo bulbi ac hippo una simulque incedit.

- b. *Nystagmus bulbi* }
ac } idiopathicus.
c. *Nystagmus iridis* }

Quarum utraque nystagmi species pro indole atque origine inter se invicem tantopere concinit, ut alterius praesagia cum alterius gravitate prognostica intime cohaereat.

Forma utriusque morbi idiopathicu non semper ejusdem arbitrii, sed potius pro causis diversis diverse interpretanda est.

Ubi enim causarum occasionalium litera a, b et c, nystagmi idiopathici et bulbi et iridis innuunt fontem, ibi ad eum extinguendum spes optima affulget. Ubi autem oriundi nystagmi illa semina sub litera d causarum occasionalium componderata existunt: ibi, quoniam ob organon ipsum quam miserrime laceratum atque correptum cura vixdum admitti potest, prognosis dubia vel imo pessima! Meliora tamen praesagit nystagmus, qui inter diplopiam atque strabismum, cuius auxilio illa non raro amovetur, nonnunquam interponitur; neque minus etiam nystagmus ille idiopathicus, qui, pro ratione jam supra descripta, pupilla arte facta conficitur.

Quamlibet mihi reliquum sit, de tertia partitio-
ne nystagmi in congenitum et acquisitum disserere:
nullam aliam hujusce mentionem facere audeo, quam
ut omnia partim de nystagmo symptomatico partim
de idiopathicu dicta non minus ad nystagmu spectent
acquisitum; ut autem de semiotica nystagmi

congeniti gravitate, quia ipsius ratio ad reliquum corpus interna satis latet, vixdum disseri possit.

Fortasse autem licitum erit conjectare, nystagmum congenitum magis minusve praedispositionem organismi ad motus convulsivos arguere.

Sectio sexta.

Therapia.

„Qui bene distinguit bene medebitur!“

Certa hujus sententiae fides praecipue nystagmo probatur curando. Nam quanta causarum diversitas, tanta etiam praesidiorum, quorum auxilio nystagmus fugetur! Qui itaque indolem nystagmi tollendi propriam, natura ipsius interna neque minus simplicitate sive complicatione accuratius componderata, rite perscrutatus fuerit: is de eligendis remediis ac eorum vel praestantia vel inutilitate neutiquam dubitabit.

Quae autem cum ita sint, haud parvi nunc habeo edere institutiones, quae uniuscujuslibet instantis nystagmi curationi inserviant atque sufficient.

Est igitur mihi propositum, secundum principia, quae in dividendo nystagmo secutus sum, et quasdam medendi regulas nunc instituere.

I. De cura nystagmi symptomatici.

Medicorum est nemo, quem fugiat, omnes affectiones symptomaticas morbo, quocum cohaerent, sublato optime tolli.

Quodsi vero quilibet nystagmus symptomaticus ex morbis promanat, qui aut prout convulsiones revera incedunt, aut saltem ad motus convulsivos dispergunt semina: omnia ea et medici et aegroti conamina, quae vel ipsos ejusmodi spasmos vel eorum oriundorum opportunitatem detrudere valent, usu laudeque erunt dignissima.

Quaenam vero sunt illa conamina? Quibusnam praesidiis aptissime hicce depellitur hostis?

Quot morbi, quos concomitatur nystagmus; tot praesidia, quibus ipse fugatur! Itaque fit, ut nystagmus symptomaticus nunc remediis antispasmodicis nunc antispasticis seu revulsivis, modo resolventibus modo adstringentibus, jam roborantibus jam debilitantibus devinci possit; eoque contingit, ut modo antihysterica modo antepileptica, nunc antarthritica nunc antiscrofulosa, jam anthelminthica jam antictarrhalia etc. etc. contra hocce symptoma ut plarium valeant.

Nil aliud inde colligi potest quam fore, ut medicus ille, qui sinceram veramve indolem morbi, quocum nystagmus conspirat, rite ac circumspecte reputaverit, id etiam symptoma facillime devincat atque summoveat.

Quodsi autem causa sublata non semper tollatur effectus atque nystagmus symptomaticus saepius post

morbum, quo ipse nititur, fugatum pergit: tum idem veluti proprius morbus considerari atque iisdem fere remediis ac nystagmus idiopathicus curari potest.

II. De superando nystagmo idiopathicō.

Quemadmodum medici nystagmum symptomatum debellatur oculus minus quam alia organa atque systemata interesse debuerunt; ita in cura nystagmi idiopathici oculus omnium organorum solus sedulitatem medici exigit. Nam semina hujus nystagmi oculo ipsi inquilina alio in organo non sunt indaganda! Quoniam autem nystagmus idiopathicus proprium ac sui generis refert morbum, peculiarem etiam curandi methodum postulat. — Quaenam vero sunt praesidia, quorum ope hicce pellatur hostis? Status quidam ac fixus eorum ordo non datur! Qui igitur in ipsis causas atque naturam diligenter inquisiverit, is solus eundem, sin secus curatio obtingere queat, felicissime expugnabit.

Ubi quidem causae dynamicae peccaverint, v. g. pathemata animi, ut metus, iracundia, terror etc: ibi eorum dejectio, quam medicus aegroto blande alloquens haud raro juvat, medicamen erit praestantissimum. Multo difficilius hicce nystagmus, si consuetudine suffultus sit, fugari potest. At res semper in fonte hujus consuetudinis vertitur! Quando enim cataracta partialis aliaque ejusmodi obstacula aegrotum ad nystagmum commovere: tum exercitata atque agilis manus chirurgica optimam praebebit medelam. Quodsi vero illa consuetudo ratione vitae oculo sen-

siferae laesa nitatur: plerisque remediis in amblyopia atque amaurosi commendatis ac pro individua horum morborum natura electis uti possumus.

Nystagmus idiopathicns, sicut e diplopia strabismi auxilio sananda originem duxit, nullo remedio turbari debet. Ubi autem strabismus nystagmum conciliaverit, ibi hicce per remedia, quae illum superant, tollendus.

Nystagmus idiopathicus ex arenula in oculum illapsa aliisve potentiis mechanicis oculum irritantibus exortus, hisce dimotis, cedit.

Haud raro denique contingit, ut nystagmus idiopathicus nimia oculi sensibilitate conficiatur, quae vel congenita vel etiam acquisita sive a morbis quibusdam praegressis conciliata existere potest. — Qua quidem data conditione omnia ea remedia, quae immodicam hancce incitabilitatem frangere valeant, maximopere erunt laudanda. At tantum abest, ut illa incitabilitas fines naturae transgressa ac prolixa agilitate conspicua vim oculi sensiferam indicet auctam, ut plerumque ipsius prostrationem innuat ideoque medicaminum, quae hydrogene scatentia meram nervorum oculi efficaciam ac energiam juvare solent, adferat necessitatem.

Qua de causa hyoscyamus, crocus, lausocerasus opium ac denique belladonna omnibus ceteris ad nystagmum idiopathicum fugandum electis valdopere antecellent praesidiis.

Quomodo autem ea adhiberi debent?

Si nystagmi idiopathici velut morbi localis reputaverimus indolem: verum illorum remediorum effec-

tum potissimum ex adhibitione proficisci externa ac topica, haudquaquam infitiabimur.

Forma ceteroquin, qua illa ad locum affectum ipsum vel ab eodem haud procul admoveantur, prorrum conditione a medico optime dijudicanda dependet.

At non tantum ope remediorum, quae ad laesam oculi sensibilitatem immutandam ac corrigendam immediate agunt, sed etiam methodi curandi auxilio revulsivae illi nystagmo erit medendum idiopathico. — Haud igitur sine jure laudantur vesicantia, setacea, fonticuli atque cauterium et potentiale et actuale, quae quidem irritamenta ab oculo nunc proprius nunc remotius adplicantur necesse est. Neque minus complures medici aquam frigidam in oculum guttatum decidentem, magnetismum, electricitatem et galvanismum proposuere, quarum enim dynamice agentium potentiarum efficacia hoc in morbo mere dynamico saepius jamjam exsplenduit.

Nunc restat commemorare, nystagmum symptomaticum morbis, quos concomitabatur, devictis superstitem eadem ratione ac nystagmum idiopathicum fugari posse. Quam ob rem singularia de illo praecpta therapeutica nunc dare necessarium haud censeo.

Antequam vero de cura nystagmi loqui desierim: necesse erit binis verbis profitear, distinctionem nystagmi symptomatici ac idiopathici ad instituenda tollendi hujusce morbi praecpta maximi esse momenti. Nam, nystagmo congenito excepto, omnia de cura nystagmi symptomatici ac idiopathici disserta-

ad quodlibet aliud morbi hujus curandi genus conferri possunt. Nystagmus autem congenitus, cuius natura nos latet, medendi regulas vixdum admittit,

E p i c r i s i s.

Ecce hanc dissertatiunculam levem, tenuem ac omni eruditione destitutam! Quamquam ipsius partem, lector benebole! mente tua perstrinxeris, ubique, quod vitio mihi vertas, invenies.

Quin etiam auctoritates quae in qualibet alia dissertatione diligenter accumulatae, haud exiguum olent doctrinam, hoc in libello desideras! Nam tantum abest, ut auctoritates foenerando relata retulerim, ut quae meo placuerunt genio, prodere ac mea sponte et refutanda et laudanda conscribere maluerim.

Sin autem mihi, quoniam haud parvo arbitrio usus sum, censura mitior vixdum arrideat: quid minimum, quod sollicito animo revolvam illud poetæ effatum:

Ἡ Νέμεσις προλέγει τῷ πήχει καὶ τε χαλινῷ,
Μητὸς αὐτοῦ τὰ ποιεῖν, μητὸς αὐχαλινὸς λέγειν.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego, Carolus Lorenz, Hirschbergae, Silesiae oppido inferioris, die XVI mensis Augusti A. MDCCXCIV optimo patre, qui regii disciplinae publicae curatoris fungebatur officiis, ac matre summa pietate in aeternum colenda, quorum quippe parentum jam pluribus ab annis doleo mortem, natus sum. Litterarum primordiis in scholis privatis imbutus, urbis patriae gymnasium Clar. Koerber directore florens ac vigens adivi. Ibi per septem annos illis praecipue institutus sum literis, quae a disciplinis in universitate literaria tractandis excipientur necesse habetur. Ita factum est, ut A. MDCCCXIII testimonii maturitatis auxilio mihi contingeret studia academica subundi potestas. At tantum abfuit, ut illa persecuturus me Vratislaviam potuisse conferre, ut armorum gratia, quae quidem capere Rex Clementissimus quemlibet meliorem jusserrat civem, hanc urbem mea

sponte peterem. Armis autem, quae annis MDCCCXIII et XIV contra Franco-Gallos ferebantur, silentibus Vratislaviam reversus ibique Cel. Link t. t. Rectore Magnifico a. d. XVIII mens. Octobris numero civium academicorum adscriptus, hisce operam navavi disciplinis. Praelectionibus de logice et physice, quarum alteram Cel. Thilo, alteram Cel. Steffens habebat, interfui; encyclopaediam medicam neque minus medicinae historiam Cel. Link, anatomiam et theoreticam et practicam Cel. Otto et Hagen me docuerunt.

Quum vero A. MDCCCXIV denuo erupisset patriae hostis et ego meum esse censerem, mediis in iis versari, qui opus pro patria gloriose initum ad salubrem exitum conabantur perducere, iterum ad arma juravi. A. MDCCCXV bello felicissime expugnato, ut Berolini Cel. Schleiermacher t. t. Rectore Magnifico inter cives hujusce almae musarum sedis a. d. XVIII mens. Aprilis reciperer, factus sum redux, a quo tempore his gavisus sum praceptoribus. Beat. Kiesewetter de mathematice, psychologia atque aesthetica disserentem audivi; Ill. et Cel. viros Hermbstaedt, Turte et Ermann disciplinarum chemicarum et physicarum habui doctores; doctrinarum naturalium encyclopaediae, naturae historiae, botanicae ac pharmacologiae duce Cel. Link incubui; Ill. Rudolphi, Knape et Cel. Rosenthal anatomiam mihi tradiderunt specialem; physiologiam Ill. Rudolphi, Cel. Horkel et Cel. Osann audivi docentes; pathologia, materia medica ac therapia me imbuerunt Ill. Hufeland s., Cel. Hufeland j., Cel.

Osann, Cel. Richter et Ill. Horn; disciplinis, quae ad chirurgiam, ophthalmologiam nec non artem obstetriciam spectant, Ill. Graefe, Cel. Bernstein, Cel Rust, Clar. Mursinna et Kluge doctoribus, navavi operam. Ut denique medici atque chirurgi in opere versantis exornarer praestantia, Ill. virorum Berends, Hufeland, Graefe, Cel. Rust, Clar. Kluge instituta clinica frequentare nunquam neglexi.

Tentamine vero et examine rigoroso coram Gratijs Facultate Medica rite peractis, dissertationem de nystagmo conscriptam nec minus theses sum defensurus, quo quidem facto existimo fore, summos in utraque medicina ut adipiscar honores,

THESES DEFENDENDÆ.

I. Staphyloma pellucidum conicum nil aliud est nisi tunicae aquei humoris ruptura.

II. Systole atque diastole arteriarum omnino negari nequit.

III. Furorem (maniam) sine mentis perversitate (paranoia) existere contendo!
